IX.

1430, Juni 17.

In nomine domini, Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo, indictione octava, mensis | Junii die decima septima, infra septimam et octavam horas ante meridiem, pontificatus sanctissimi in Christo patris | et domini nostri domini Martini divina providentia pape quinti anno tredecimo, in mei notarii publici et testium subscriptorum | vocatorum ad hoc specialiter et rogatorum presentia personali constitutis honestis et discretis viris Godefrido van den Eychorn armigero ex una, et Jacobo de Loen, civibus regalis urbis Aquensis, partibus ex altera, iamdictus Godefridus prefatum Jacobum verbis subsequentibus aut ipsis similibus alloquebatur atque dixit, quod tempore novi regiminis in urbe Aquensi ob diversas causas meritorias inchoati multe excubie super dictum Godefridum et eius socrum Godefridum Proefft nuncupatum ac apud eorum domos, quas inhabitabant, contigissent facteque fuissent, sed qua de causa huiusmodi excubie in ipsum Godefridum et eius socrum predictum ut prefertur fuerunt ordinate penitus ignoraret et ignorat, speraretque prefatas excubias propter aliquas culpas, quas fecisse debuissent non fuisse ordinatas, quoniam aliud non . . . . [1]), quam quod libenter omnibus diebus vite eorum bonum gerere vidissent civitatis antedicte, neque etiam culpabiles in aliquo possent reperiri, quare minus iuste et inique domini civitatis Aquensis excubias fieri ordinarunt. Etiam quod dictus Godefridus dici audivisset prefatum Jacobum apud nonnullos dominos Aquensis fuisse civitatis et quod ipsi multa ab ipso Jacobo ex parte dicti Godefridi de Eychorn et eius socri quesivissent, sed que et qualia ignoraret. Prefatis verbis taliter ut prefertur per ipsum Godefridum de Eichorn expositis et narratis, idem Godefridus dei et iusticie causa prefatum Jacobum rogavit, quod si aliquid de premissis sciret propalare, quod hoc suo mediante iuramento coram me notario et testibus faceret et diceret infrascriptis atque etiam veritatem diceret in et de quibus a me notario ipsum contingeret interrogari. Prefato Jacobo quod hoc libenter faceret respondente, dictus Godefridus de Eychorn me notarium subscriptum requisivit et rogavit, ut prelibatum Jacobum examinarem et audirem, nil de suo testimonio addendo vel diminuendo, atque sibi Godefrido iamdicto desuper conficerem unum publicum instru-

---

[1]) *Es fehlt ein Wort in der Abschrift.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mentum. Ego vero notarius subscriptus, quod iusta petenti non est assensus denegandus considerans et perpendens, et ob preces ac dicti Godefridi requestam prefatum Jacobum ad testimonium de prefatis causis ac aliis per me ab ipso Jacobo inquirendis perhibendum in presencia testium subscriptorum, in absentia tamen dicti Godefridi de Eychorn, prefatum Jacobum, prius tamen ab ipso Jacobo suo iuramento recepto, examinavi et audivi. Juravitque dictus Jacobus suis digitis erectis per deum et omnes sanctos eius [1]) de premissis omnibus ac aliis, que ab ipso quererem, dicere veritatem. Item interrogatus dictus Jacobus sub prelibato suo iuramento prestito respondit, quod non sciret ad quem finem magne excubie quando Godefridus Proefft extra consilium Aquensem excludebatur facte et etiam excubie in vigilia sacramenti habite et ordinate fuissent, nisi quod domini urbis Aquensis illas fieri procurassent et ordinassent. Item interrogatus respondit, quod eodem mane, antequam dictus Godefridus Proefft extra consilium excludebatur, ipso teste in dicto consilio presente, idem Godefridus Proefft in pleno consilio se satisfacturum obtulit in casu quo reperiri posset in aliquo contra consilium deliquisse, quod tamen sibi Godefrido minime prodesse potuit quoniam ipsum Godefridum extra consilium excluserant. Item interrogatus respondit, quod dici audivisset multas excubias ante domos dictorum Godefridi de Eychorn et Godefridi Proefft fuisse factas, ob quid tamen facte fuerant penitus ignoravit, quodque etiam in consilio Aquensi, in quo sepe presens extitit, non conclusum et initum fuerat, omnes prefate quod excubie fieri deberent. Item interrogatus respondit, quod dicti Godefridus de Eychorn et Godefridus Proefft novum regimen in Aquisgrani inchoatum non incepissent neque etiam illius novi regiminis essent causa, culpa et origo, quodque etiam dictus loquens testis aliud dici non audisset neque scieret quam quod dicti Godefridus et Godefridus libenter commune bonum vidissent civitatis. Item interrogatus respondit, quod dictus Godefridus de Eychorn libenter in consilio Aquensi de suis officiis computum fecisset, et quod duabus aut tribus vicibus ipso teste ibidem presente fuit impeditus, ita quod computacionem minime potuit terminare. Item interrogatus respondit, qualiter quidam Johannes Bendel bene tribus ad istum loquentem testem vicibus venisset seque dictus Bendel a dominis Aquensibus missum dicebat esse et fuisse, dictusque Johannes Bendel eidem loquenti testi dixerat, ut ipse testis ad dominos Aquensis veniret civitatis et ad locum ubi sibi diceretur,

---

[1]) *Im Originale zwischen* eius *und* de *eine gebogene Linie auf einer Rasur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ipsisque dominis Aquensibus diceret, domicellum Godefridum de Eychorn inchoatorem novi regiminis in urbe Aquensi inchoati fuisse atque cives ad dictum novum regimen deducendum tenuisse et instigasse, quod que si facere ac dicere vellet, quod urbem Aquensem reintraret ut per prius ibidem habitavit habitando; dictusque loquens testis eidem Bendel predicto respondebat, quod hoc nequaquam diceret quoniam nichil inde sciret, itaque venire noluit et recusavit. Tandem vero ob preces sculteti ville de Aldenhoeven ad villam zer Wijden volgariter transivit nuncupatam, ibidemque Gerardus de Wijlre, Johannes Elreborn, scabini, et Johannes van der Hagen, preconsules urbis Aquensis antedicte, ab ipso loquenti teste petiverunt, ut diceret id quod ad Portzetum in balneo ipse testis unacum Godefrido de Eychorn, Godefrido Proefft et aliis quampluribus pertractasset et qualis eorum conspiracio fuerat, quod si ipsis diceret sibi loquenti testi prodesset et ipsius profectum fieret. Ipse vero loquens testis prelibatis Gerardo de Wijlre, Johanne [1]) Elreborn, scabinis, et Johanne [2]) van der Hagen proconsulibus urbis antedicte respondit, se unacum dominis Conone van den Eychorn, Godefrido van den Eychorn, Godefrido Proefft et Stephano sartori ac aliis ad balneum in Portzeto fuisse, nil tamen mali contra dominos Aquenses inibi tractasse neque etiam omnes alii, qui protunc in balneo fuerunt, de aliquo alio tractavere quam de communi utilitate civitatis predicte. Item dicit ipse loquens testis requisitus, quod non sit excommunicatus, infamis, criminosus, periurus, nec aliquo crimine ut sperat irretitus, quod presens suum testimonium valeat seu possit in aliquo retardari vel alias quomodolibet viciari. Item interrogatus dicit, quod premissa per eum deposita non deposuit prece, precio, gracia, odio vel favore sed pro sola et mera dumtaxat veritate dicenda. Item dicit, quod non sit instructus, informatus vel alias subornatus ab aliquo super huiusmodi suo testimonio sic ferendo, nec sperat habere lucrum aut commodum ex victoria cause presentis.

Acta fuerunt hec Traiecti Leodiensis diocesis in domo dicti domicelli Godefridi de Eychorn sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu quibus supra, presentibus ibidem honestis viris Johanne dicto van den Kirchoff et Theoderico Witter iuniori, opidanis Traiectensibus laycis dicte diocesis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Georgius Lutzenburch de Aquisgrani, clericus Leodiensis diocesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, quia premissis omnibus et singulis, dum sic ut premittitur fierent et

---

[1]) [2]) *So das Original.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

agerentur unacum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc presens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci et in hanc publicam redegi formam signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi rogatus et requisitus, in fidem et veritatis testimonium omnium premissorum.

Nach dem Original im Stadtarchiv (XIII. 63.). *Pergament 30½ Centim. lang, 20 Centim. breit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf